



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXIX. Der Markgraf Woldemar schenkt dem Domcapitel das Dorf Barnewitz, am 26. Febr. 1317.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CLXVII. Der Markgraf Johann bestätigt dem Domcapitel den Besitz des Dorfes Plögin,
am 15. Jan. 1316.

Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae marchio — villam Plotzin, que cum omnibus suis appenditiis, cum precariis et servitiis quibuscunque iusto proprietatis titulo, quia de hoc plene informati sumus, pertinet preposito et ecclesie Brandenburgensi tenore presentium confirmamus et ad maiorem securitatem prefatam villam cum omnibus et singulis precariis et servitiis ac appenditiis et iuribus eiusdem universis solemnem donationem pro nobis, heredibus et successoribus nostris donamus et appropriamus predictis preposito et ecclesie Brandenburgensi in perpetuum habendam et possidendam, nihil juris nobis, heredibus et successoribus nostris in eadem villa in toto vel in parte reservantes. Ut autem etc. Testes huius rei sunt Hinricus in Stendal decanus, Everardus in Stolp prepositus, Redeke de Redern, Mathias de Bredow, Henningus de Vorlandt et Buffo de Milow, milites. Actum et datum Templin, anno domini M. CCC. XVI. feria quinta post octavam Epiphaniae.

Nach einer Copie des Copialbuches. (Das Original in den Händen des Besitzers des Dorfes.)

CLXVIII. Der Markgraf Johann bestätigt dem Bischöfe von Brandenburg den Besitz der
obern Havel, am 15. Jan. 1316.

Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae marchio, cupimus notum esse universis Christi fidelibus, ad quorum notitiam presens scriptum pervenerit, quod superiorem Obulam, quam cum proprietate hereditaria, superiori et inferiori iudicio, tractibus, piscationibus quibuscunque et qualibuscunque et omnibus pertinentiis suis ad episcopum et ad ecclesiam Brandenburgensem didicimus libere pertinere, confirmamus reverendo in Christo patri, domino Frederico, episcopo Brandenburgensi, et sue ecclesie: et ad maiorem cautelam prefatam Obulam et omnia et singula premissa cum earum pertinentiis eidem domino episcopo et suis successoribus nec non ecclesie predictae ob spem divine remunerationis appropriando donamus iusto proprietatis titulo perpetuis temporibus possidendum. Ut autem haec confirmatio, donatio et appropriatio robur obtineat sempiternum, presens scriptum nostri sigilli robore fecimus communiri. Testes quidem rei sunt Hinricus, in Stendal decanus, Everardus, in Stolp prepositus, Redeke de Redern, Matthias de Bredow, Henningus de Vorlande et Buffo de Milau, milites cum aliis fide dignis. Actum et datum anno domini M. CCC. sexto decimo, feria quinta post octavam epiphaniae.

Gerden's Eistob. S. 525.

CLXIX. Der Markgraf Woldemar schenkt dem Domcapitel das Dorf Barnewitz,
am 26. Febr. 1317.

— nos, Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae marchio, dedimus et donando dimisimus honorabilibus viris dominis preposito totique capitulo ecclesie Brandenburgensis villam Bornewitz cum omnibus suis attinentiis et pertinentiis, limitibus et distinctionibus universis cum

fructibus et utilitatibus omnibus et cum iudiciis majori et minori et cum servitiis quibuslibet, perpetua fructione commodi et honoris, cum jure patronatus ejusdem, cum omni proprietate tanquam proprie propriam perpetuis temporibus possidendam et habendam pacifice et quiete. Ut autem hujus proprietatis donatio sempiterna obtineat vigorem in omnibus et singulis, que nobis in dicta villa competunt aut nostris successoribus in futuro competere possent, abrenunciationem facimus per hec scripta, evidenter omne jus in dicta villa habitum penitus abdicamus. Pro premissa autem proprietatis et ville donatione prepositus et capitulum ecclesie Brandenburgensis nobis persolverunt trecentas marcas Brandenburgensis argenti et ponderis integraliter et complete, presentibus domino Conrado de Redere, Mathia de Bredow, et Erhardo de Stechow, militibus nostris, et domino Everardo, preposito Stolpensi, nostro prothonotario predilecto. Hec autem proprietas ut duret etc. Actum et datum Ratenow, anno domini M. CCC. XVII. in sabbatho proximo post festum beati Mathie apostoli.

Nach dem Copialbuche.

CLXX. Der Bischof Johann verkauft dem Domcapitel die beiden Dörfer Weseram und Tiekow, am 20. März 1317.

In nomine domini. Amen. Injuriatur memorie frequenter oblivio; longinquitate sepe fit temporis, ut res clara presentibus reddatur obscura futuris. Unde contra oblivionis dispendium de scripture suffragio providit industria sapientum. Hinc est, quod nos, Johannes, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, publice per presentes recognoscimus, et ad omnium quorum interest vel interesse potest, notitiam volumus pervenire, quod, cum ecclesia nostra occasione venerabilis patris, domini Frederici bone memorie, predecessoris nostri, premeretur gravi honore debitorum, quorum etiam quibusdam de die in diem in Judea usure et dampna importabilia accrescebant, nos cum capitulo, nostro provida deliberatione et diligenti tractatu habito super premissis, de consensu ipsius, vendidimus et tradidimus honorabili viro, domino Johanni preposito, ipseque nostro capitulo duas villas Weseram et Tikow, ad mensam nostram episcopalem spectantes, cum omnibus suis attinentiis et pertinentiis, limitibus et distinctionibus universis, cum aquis et piscationibus, fructibus et utilitatibus omnibus et cum iudiciis majori et minori, cum servitiis quibuslibet, cum jure patronatus, perpetua fructione commodi et honoris, cum omni proprietate tanquam proprie proprias perpetuis temporibus possidendas pro centum marcis Brandenburgensis argenti et ponderis nobis jam libratis et traditis et in utilitatem ecclesie nostre et nostram conversis et per nos in Judea solvendis. Ut autem venditio proprietatis predictarum villarum vigorem optineat sempiternum, in omnibus et singulis, que nobis in dictis villis competunt aut nostris successoribus in futuro competere possent, abrenunciationem fecimus per hec scripta, omne jus in dictis villis habitum penitus abdicantes. Ut autem hec nostra venditio perpetua et inviolabilis perseveret, presentem litteram nostro et capitulo nostri sigillis dedimus communitam. Actum et datum Brandenburg anno domini M. CCC. XVII. tertio decimo kalendas Aprilis, presentibus dominis Thiderico de Wetterlinghen, Hinrico de Gladow, Henningho Katten, Wapac et Johanne de Locstede, militibus, Tiderico dicto Gruelhut et Alberto, plebano in Seferer, capellanis nostris, Rodolfo monetario ac Jacobo de Juterbuk, civibus Brandenburgensibus ac aliis pluribus fide dignis.

Nach dem Original.